DEO OPTIMO MAXIMO, VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XXII. DECEMBRIS,

M. PETRO PERREAV, Doctore Medico, Moderatore.

1001.

An à sterilitate tarda Senectus?

VIVACITATIS nostræ solus arbiter innatus calor, dum lentiùs aut ocyùs humidum depascitur, submouet vel corripit fati gradum, sed tam lubrico & præcipiti retardatur sufflamine, vt sibi constare non possit nisi ad interitum deuoluatur pabuli sui consumptione. Fabulosum comminiscitur Prometheum hunc quisquis è cælo ducit, ab elementis nasci vitæ nostræ principia nimiùm arguit illorum dominatus, cuius tyrannidem dum sublunare nihil fugit, ea sola in longum æuum eludunt, quorum copiosum humidum, θερμὸν ϗ λιπαρὸν, ab aduerso sibi frigore securum, citum marcorem non metuit: Hinc plantæ in mortalitatis ludibrium educatæ videantur, dum sanguinea animalia ob caloris edacitatem noui alimenti indesinenter egena, quo perfectiorem plantis vitam agunt, eo & breuiorem: solus homo quasi operi suo inuidente natura, cætera viuentia morborum fœcunditate superat, vnde causarii non pauci, quibus inculpata principia longæuitatem pollicentur. Hanc ex corporis proceritate ominari, quâ sæpius obruitur vita quàm fulcitur, error est: Inane & vanum ab arctatis propius dentibus, aut ductis longius in manu sine scissura lineis sperare. Quamcumque fors obtulerit vitæ metam tutò decurres, si ad labores impiger, victu non exlege, seminis effusione viuificum spiritum non depauperes. Ergini canos accersunt qui nephalia spernendo Veneri & desidiæ litant.

INCVLPATA natalia μὴ περιττωματικῷ, cum adhuc anima sui ignara in rudi semine infunditur, Veneris inimicitias fouent dum illius stimulos substrahunt. Perfecta natura hoc tantum appetit quod potest assimilare, nec sanguine superfluo luxuriat ad seminis generationem: hinc nec Cypridem aliam quàm ἑταίραν colit, quæ quia virgo etiam innocua est, cum aliæ sint libitinæ omnes; πολύσπερμα vitæ breuioris; ipsi mares à sequiori sexu longæuitate superantur si ipsum salacitate superent. Nec tantum caduca principia sequitur effræne coeundi œstrum, sed & efficit: nascituris tantum prodest non natis, & dum quisquam ex sapientis mente nisi imbecillior ab hoc resurgit, palam amicam venerem testatur, clam inimicam: dum enim niueis laticibus tepidus ros effluit triplici spiritu turgidulus, humore primigenio exsiccato, fatiscit natiuus calor, vis omnis labat, solutus corruit vniuersi corporis tonus, & sæuiente præsertim in cerebrum labe, oculi viuido suo nitore amisso languentes & luridi hebescunt: adeo neruosi generis inimica venus est, vt breuis epilepsia iure dicatur: ipsa excrementa quorum euacuationi minus innoxie adhibetur congerit & accumulat, nulli non ætati noxia, iuuenibus incrementum remoratur & imminuit, ætate consistentibus senium accelerat, senibus mortem: quid plura? si te non totum Chloridos herba tenet, à fabis abstineto, & omni cibario ἐκ τῶν ὑποβινητιώντων.

INGENS est naturæ beneficium sterilitas, quæ dum infida speciei inuidet, vnicuique vtilis est, præsertim cum mares ἀνδρίεις, vt Scytharum eunuchi, & feminæ ἀρρενωποὶ seminali effluxu carent; Ideo mulus parentibus longæuior quia sibi tantum natus est; nec diuturniores plantæ quæ restibili fœcunditate gloriantur, nec quibus coloni cura fertilitatem adiicit, fertilitas enim senectam: quin earum quamplurimæ protinus moriuntur, cælo fœcunditatem omnem eblandito. Multorum tamen morborum soboles est sterilitas, infaustum remedii genus; sed ne tunc quidem sterile, quippe fatiscentes vires fœcunditate cito lapsuras sustinet: Temperamentorum dissimilitudo verius ἀτοκίαν efficit quam sterilitatem, quæ ne tunc quidem feminis ingrata est; vt fœcunditatis incentiua voluptas est, ita & sine ea conceptio fieri nequit; odium sæpissime irrita reddit connubia, tum qui negantibus sulcis semina credidit eluditur veneris fide; ipse amor dum sui impotens est ventura prole parentes frustratur; sed his retardatur fœcunditas, nec tamen inducitur sterilitas, quam à τελχίνων amuletis, numeris, aut carminibus, metuere tam vanum est, quam ex lactucarum marcore ab vrinæ aspersione augurari, nec tamen irritus semper ad illius explorationem croci litus aut aromatum suffitus.

EVNVCHOS natura & ars facit, dum testes vel negat, vel tollit; vtrosque propinato Amfiam frustra ad generationem stimules, non irrito tamen languentis veneris irritamento, qua spathalocinædi nec sine voluptate defunguntur, nec sine noxa; nec enim leuiter se conficiunt Deliaci illi manu rescissi infœcunda effusione. Miserum hominum genus qui quibuscumque morbis obnoxii etiam inuita natura sua, in podagram & arthritidem cæteris sunt procliuiores, sed fortunati eunuchi si ad sapientiam vel ex ipso nomine moniti naturam suam sequantur ducem, maiores & venustiores omnes qui tenera ætate euirantur, facili in animalibus fere omnibus exemplo; iuuenilis corporis habitus, vox blande canora nec raucum resonans; adeo in morbos sunt obfirmati, vt tetram mephitim è Syriæ venenatis specubus exhalantem soli innoxie hauriant, nequidem in decrepita ætate caluitium metuunt, non ideo canitiei securi; animus ipsis nullis voluptatum illecebris fractus, an & inde fortitudo & constantia amicitiæ tenax? Itavt eorum liberi exitus, dubiam historiæ fidem reddant: adeo iniuriosus es quisquis hos naturæ monstra indigitas.

EVNVCHISMOS raro mulieribus contingit, sæpius ἀφορία, quę eo acceptior quo illis sæuior est fœcunditas; demas enim quæ illam tamquam inquilini sequuntur θρόμβωσιν, immane distendentem σπαργάνωσιν, superfætationem soli mulieri infensam, molam & monstrum ad totius naturæ stuporem etiam homini non insolens; adhuc matri perniciosa est vt fœtui consulat, vt pullulet vtriusque parentis exuuium illud, totum grauidæ corpus nectare viuifico defraudatur; vt carcere effracto crudele pondus exeat, tam efferis cruciatibus diuellitur, vt mors inter solatia huius lanienæ expectetur; felix sterilium intemperies; quæ partuum carnificinæ non est obnoxia, optanda vteri conformatio quæ conceptuum arcet discrimina, paucis morbosa quod inassuetus aphrodisiis aqualiculus erumpentibus menstruis segnius cedat, tormina cieat momentanea, & leues strangurias, quæ vis vteri expultrix nullo lassata partu cito edomet, nullis non vtilis quæ à voraci pica, & malacia, ab ingrata nausea & cardiogmo, à bilis amara regustatione, nusquam inducias dante cephalæa, & innumeris à lochiorum segnitie & refluxu morbis mulieres vindicat.

Ergo à sterilitate tarda Senectus.



Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS LOPES, Burdigalensis, A.R.S.H. 1650.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. *Rolandus Merlet.*	M. *Quintinus Theuenin.*	M. *Bartholomæus Baralis, Med. Reg.*
M. *Stephanus le Gagneur.*	M. *Carolus le Breton.*	M. *Carolus le Clerc.*
M. *Petrus Bourdelot.*	M. *Claudius Perrault.*	M. *Ioannes Bourgeois.*